



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos
Distributa

Ilsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCCXIX. Continuatio eiusdem Argumenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

MEDITATIO CCCCXIX.

Continuatio eiusdem Argumenti.

Matth. 25. v. 34.

PUNCTUM I. Tunc dicet his, qui à Dextris ejus erunt: *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, & dedist mihi manducare &c. Amen dico vobis: quamdiu fecistis unius his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Considera singula verba hujus Sententiæ ferendæ erga Justos, à Dextris stantes.* Dicet Christus: *Venite: illis nimis, quibus antè dixerat, & qui etiam paruerant dicenti: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Tunc implebitur illud, quod alibi dixerat: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & Ego reficiam vos.* Itaque nunc veni, & sequere Christum, ut merearis inter Electos audire: *Venite.* Dicet etiam: *Benedicti Patris mei.* Omnis laus humana, omnes honorum tituli nihil valent comparatione hujus Elogij. Dicet: *Possidete paratum vobis Regnum &c.* Non tantum promittitur, sed traditur Regnum Christianorum, ab æterno quidem decretum, sed paratum à constitutione mundi, quando Cælum Empyreum, omnium Beatorum Sedes, conditum, & pro futura habitatione præparatum est. Dicet quoque: *Esurivi enim &c.* Quod tantum exempli gratiâ exprimitur; non enim hoc tantum, sed omnia Opera Bona manifestabuntur; nullumque Opus erit tam exiguae affimationis, licet fuerit solùm porrectio aquæ frigida, pro quo non rependatur Præmium æternum ab A. quiss

quissimo & Liberalissimo Judice; sicut nullum, eti
levissimum peccatum, erit impunitum. Hinc ergo
desume, si tale Præmium rependitur pro Operibus
Misericordiæ Corporalibus, quantò majus repen-
dendum sit pro Spiritualibus; & quoniam vides, quòd
tanti hujusmodi Opera Charitatis æstimet Christus,
ut velut sibi facta credat, tu quoque in horum exhi-
bitione ipsum Christum respicere stude.

PUNCT. II. Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt:
*Discedite à me Maledicti in Ignem Æternum, qui paratus
est Diabolo, & Angelis ejus. Esurivi enim, & non dedistis
mihi manducare &c. Amen dico vobis, quamdiu non fecistis
uni de minoribus his, nec mihi fecistis. Considera & hujus
Sententiæ singula verba.* Per priora: *Discedite à me,*
denunciatur Pæna Damni, nempe repulso à fruitione
DEI. Per posteriora: *In Ignem Æternum &c. Pæna
Sensùs.* Per ultima exprimitur Causa Damnationis,
quæ etiam tota secundùm omnia peccata coram
omnibus Angelis & hominibus manifestabitur.

PUNCT. III. Et ibunt hi in Supplicium Æternum;
Justi autem in Vitam Æternam. Considera celerem, cer-
tam, & inexorabilem executionem Sententiæ Judicia-
lis, & ejusdem executionis Æternitatem nunquam
remittendam. Nunc in potestate tua est, tibi cude-
re Sententiam, quam malles. Sequere igitur con-
silium Thomæ Kempensis l. 2. de Imit. c. 12. dicentis:
Durus multis videtur sermo: Abnega temetipsum,
tolle crucem tuam, & Sequere JESVM: sed multò du-
rius erit audire illud Extremum Verbum: Discedite à
me Maledicti in Ignem Æternum. Qui enim modo
libenter audiunt, & sequuntur Verbum Crucis, tunc
non timebunt ab auditione Æternæ Damnationis.